



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Titulus I. De Summa Trinitate & Fide Catholicâ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

arii. hujus libri, atque hæc est totius libri primi di-  
 spositio, quam idcirco in principio claritatis cau-  
 sine sa ponere volui, ne in quovis titulo specialem  
 tici- materiae connexionem & coherentiam assignare  
 . tit. necesse sit.

## TITULUS I.

De

### Summa Trinitate & Fide Catholicâ.

**M**ERITO à summâ ac indivisâ Trinitate jura  
 nostra ordimur: Vanum enim est jura  
 nesse, & ipsum Justitiæ fontem Deum  
 trinum & unum non agnoscere; ut pote cum salus  
 æterna, ad quam per morum & vitæ sanctitatem  
 à SS. Canonibus præscriptam præparamur, sine  
 agnitione Dei nequeat obtineri, *Hebr. II.* Ille  
 enim est Alpha & Omega, principium & finis uni-  
 versi juris, cum per ipsum reges imperent, & le-  
 gum conditores justa decernant. *Prov. 8.*

**QUÆRES 1.** In quo consistat mysterium  
 Sanctissimæ Trinitaris? *Resp.* In eo consistit,  
 quod credamus in Deitate tres esse personas u-  
 nam habentes naturam & essentiam, ita ut licet  
 quæque persona Deus sit, non tamen tres sed  
 unus solummodò Deus dici possit. *cap. I. b. t.*  
 quod licet ratione non capiamus, fide tamen  
 certitudinem habemus.

**QUÆRES 2.** An fides in sanctissimam Tri-  
 nitatem ad salutem æternam consequendam sit ne-  
 cessaria necessitate mediæ, sicut fides in Deum  
*Resp.*

Resp. Probabiliter affirmativè, intellige post sufficientem illius declarationem in N. T. à Christo & Apostolis factam, unde sicut accedentem ad Deum oportet credere quod Deus sit, sic quoque credere oportet quod trinus in personis sit. *ita Layman. lib. 2. tract. 1. cap. 8. num. 5.* Probatur 1. ex Matth. 28. & Marc. 16. Ubi Apostoli à Christo missi sunt in universum orbem, ad annuntiandum Sanctissimæ Trinitatis mysterium. 2. probatur ex ratione: Sicut enim in lege Veteri fides saltem implicita in Christum necessaria erat ad salutem necessitate mediæ, eò quod mysterium incarnationis obscure propositum esset; sic in lege gratiæ, cū Mytheria redemptionis & Trinitatis sufficienter explicata sint, fides explicita in Christum & SS. Trinitatē, necessarium erit mediū ad salutem.

**OBICES.** Apostolus Paulus Ephesi invenit discipulos, qui spiritum sanctum non agnoverant, consequenter fidem in Sanctissimam Trinitatem non habebant, & tamen erant credentes discipuli Act. 19. v. 2. Ergo fides in Sanctissimam Trinitatem non est necessaria necessitate mediæ. Resp. Illo tempore Mysterium Trinitatis nondum fuisse sufficienter propositum, ac propterea hominem ejus Mytherii ignarum credentem appellari & salvari potuisse.

**QUÆRES. 3.** Quarum rerum fides sit necessaria necessitate præcepti? Resp. Omnium earum quæ ab Ecclesia Catholica proponuntur credendæ; ut ad eò non sufficiat si es in Christum, prout somniant moderni indifferentistæ, Prob. 1. Quicumque non est membrum corporis Christi non potest salvari; sed qui non est in vera eccle-

ecclesia adeoque veram fidem non habet non est  
 membrum corporis Christi; *Ephes. 5.* maximè  
 cum non sit, nisi una fides salvifica, *Ephes. cap. 4.*  
 Ergò talis non poterit salvari. *Prob. 2. ex Actor. 6. 15.*  
 Ubi Apostoli convenerant deliberaturi an  
 conversis ad Christianam fidem necessaria esset  
 circumcisio; vana autem fuisset & inutilis eorum  
 conventio, si solâ fide in Christum salvari  
 potuissent. *Prob. 3.* Galatæ habebant fidem in  
 Christum; sed hæc fides non erat illis sufficiens  
 ad salutem; dicit enim Apostolus *Gal. 5. Si circumcidamini Christus vobis nihil proderit.* Ergò. *Prob. 4.*  
 Hymenæus & Philetus habebant fidem in  
 Christum & nihilominus declaravit eos S. Paulus  
 hæreticos, eo quod docerent, resurrectionem  
 jam esse factam. *1. Tim. 2. 17.* Ergò non sufficit ad  
 salutem in Christum credere, sed necesse erit fidem  
 ecclesiæ quoad omnes articulos amplecti.  
 Quare ex verbis Apostoli ad *Tit. 1.* Statuit Pontifex  
 in *cap. 2. h. t.* eos qui contraria fidei Catholicæ  
 dogmata fovere præsumpserint, erroris & hæreseos  
 damnatos, tanquam vitiosa & inutilia membra à  
 corpore Christi abscindendos & à communione  
 fidelium removendos esse.

QUÆRES 4. An sufficiat fidem corde tenere an  
 verò eandem exterius profiteri quandoque necesse sit?  
 Resp. Professionem fidei externam necessariam esse  
 multis casibus. Videlicet primò si quis legitimè de ea  
 interrogatus fuerit; si honor Deo debitus privativè vel  
 contrariè cessaret, aut periclitaretur salus proximi.  
 Secundò, ad professionem fidei externam tenentur  
 promovendi ad Episcopatus; ut novissimè statuit *Trit. sess. 24.*

cap. 1.

*c. x. de Reform.* Tertio, provisum de canonicatibus in ecclesiis Cathedralibus *Trid. dict. sess. cap. 12. §. provisum.* Quarto, assumendi ad beneficia curata, *Trid. cit. sess. c. 22.* Quinto, Prælati religionum etiam militantium per *bullam Pii IV.* quæ incipit *sacrosanda.* Sexto, promovendi in Doctores, Magistros, Professores & quidem sub excommunicatione latæ sententiæ per *bullam Pii V.* intellige in iis locis in quibus dicta bulla recepta est. Si quis plura de hac materiâ scire descideret, Theologos consulat, eorum enim fori est non nostri. Pauca hæc quæ diximus, canonistæ sufficiant.

## TITULUS II.

### De Constitutionibus.

**Q**UÆRES I. Quid sit constitutio? Resp. Nomen constitutionis sumitur vel generaliter, & sic comprehendit omne jus positivum ecclesiasticum & civile; vel sumitur specialiter; idque vel in jure civili, & tunc per Constitutiones intelliguntur leges; vel in jure ecclesiastico, & hoc sensu veniunt canones, sive decreta summorum Pontificum, Conciliorum universalium, aliorumque legislatorum ordinationes. Constitutio hoc posteriori sensu accepta, hujus loci est & definitur, *ordinatio sive sanctio, ab eo qui jus statuendi habet in publicam subditorum utilitatem facta, obligans omnes legislatoris jurisdictioni subjectos. cap. c. b. t. Sean. 2. dist. 4.*

OUÆ.